



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Omnium Articulorum M. Lutheri, Per Bullam Leonis X. Novissimam Damnatorum

Luther, Martin

[Basel], 1521

VD16 L 3876

Vndecimvs. Nullo modo confidas te absolui propter tua[m]
co[n]tritione[m], sed propter uerbu[m] Christi, Quodcunq[ue] solueris. Hic
inqnam confide, si sacerdotis obtinueris absolutione[m], & crede ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-33308

MAR. LVTHERI ASSERTIO. 3

Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Ita cū in omī ab/
solutione peccatoris proferatur sentētia diuina, necessario *Fides neces-*
requiritur fides, quæ credat huic sentētia, sine qua frustra *saria.*
nea est absolutio, & tota pœnitētia; Præsens autem fides
sola satis est ad iustitiam & pacem cordis, sicut enim credi
mus, sic fiet nobis. Corde autem creditur ad iustitiam, Ro
ma. decimo. Nec fingere potuissē, nedum credere, dra
conem infernalem tantæ impudentiæ esse in Ecclesia dei,
ut hæc auderet sonare.

VNDECIMVS.

Nullō modo confidas te absolui propter tuā cō
tritionē, sed propter uerbū Christi, Quodcunq; sol
ueris. Hic inquam confide, si sacerdotis obtinueris
absolutionē, & crede fortiter te absolutū, & absolu
tus eris, quicquid sit de contritione.

Vide quæso, ut hic nos Bulla doceat sup arenā ædificare
& abiecta fide, sup cōtritionē opus hoīs plusq; sup uerbū
dei confidere. Fluit autē hic articulus ex præcedente. Quia
uerbū Christi, Quodcunq; solueris, fidē exigat pœnitētis, ut
satis claret, cū sit uerbū promissionis, ideo sine fide impleri
nō pōt. Et satis dictū ē art. i. q. sola fides iustificet & tollat
peccata, sicut Act. xv. dicit Petrus: Fide purificās corda eo
rū, & Hiere. v. Dñe oculi tui respiciūt fidē. Iā & psal. xxiiiij.
docet, nō propter ullū opus nostrū, nedū ppter cōtritionē
remitti peccata, dicēs: Propter nomē tuū dñe ppitiaberis
peccato meo, multū est em. Et Ro. v. Iustificati ergo gratis
p fidē pacē habemus, Ecce gratis & sola fide iustificamur,
& pacē, id est, remissionē peccatorum habemus.

Quare adhuc dico, Caue caue frater christiane, ne unq; *Contritio nō*
super tua contritione confidas, nō huic, sed fidei tuæ pro
sufficit.
misit

ARTICVLORVM DAMNATORVM

misit deus remissionē peccatorū. Duo em̄ sunt uerba dei; alterū est præceptū, alterū promissio: præceptū opera, promissio fidē exigīt, nec est cogitabile, quōd promissio impleri sine fide per opus quodcūq; possit.

DVODECIMVS.

Si per impossibile confessus nō esset cōtritus, a ut sacerdos nō serio sed ioco absolueret, si tamē credat sese absolutū, uerissime est absolutus.

de fide Et hic fluit ex præcedentibus. Nā fides (ut dixi) exigitur in pmissiōis diuinæ uerbo, quod, quocūq; modo audiāt, si fide suscipiūt, iustificat. Et quid mirū, si ioco prolatum & creditū iustificet, quā apostolus Philp. pri. gaudeat & gloriatur, q; uerbū dei per inuidiā & contentionē prædicatur; utiq; q; credentes salui fiant per uerbū, etiā ab inuidis & accusatoribus, non nisi ad opprimendū ipsum annunciatū. Adeo tota uis sita est, nō in ministro uerbi, sed in corde audientis & credentis. Verū nostri adulescentes malunt remissionem peccatorū tribuere potestati ministrorū, ut in se confidamus, q; fidei, qua in dei uerbū credamus, ideo ut se nobis idola faciant, & adeo uiuo auertant, damnant fidē uerbi dei, & suam statuunt potestatem.

nota erroris

Fides nō est sine contritione.

Dixi autem, per impossibile, quia satis supra dictum est fidem sine contritione esse non posse, cum gratia non infundatur nisi cum magna concussione animæ. Volui em̄ fidei uirtutem declarare, & commendare q; sola faciat ad remissionem peccatorum, & iustificationē pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem seu turbationem illā cordis, in cognitione peccatorum suscitātam, negare. Volo eam, sed dico eam non operari iustificationem. aut remissionem peccatorum: Fides enim in uerbum dei iustificat & purgat.

Tertiusde